

**QUOMODO GRAECI AC
PECULIARITER ATHENIENSES
FOEDERA PUBLICA
JURE JURANDO SANXERINT;
THESIM**

Published @ 2017 Trieste Publishing Pty Ltd

ISBN 9780649401901

Quomodo Graeci ac peculiariter Athenienses foedera publica jurejurando sanxerint; Thesim by
Albert Martin

Except for use in any review, the reproduction or utilisation of this work in whole or in part in any form by any electronic, mechanical or other means, now known or hereafter invented, including xerography, photocopying and recording, or in any information storage or retrieval system, is forbidden without the permission of the publisher, Trieste Publishing Pty Ltd, PO Box 1576 Collingwood, Victoria 3066 Australia.

All rights reserved.

Edited by Trieste Publishing Pty Ltd.
Cover @ 2017

This book is sold subject to the condition that it shall not, by way of trade or otherwise, be lent, re-sold, hired out, or otherwise circulated without the publisher's prior consent in any form or binding or cover other than that in which it is published and without a similar condition including this condition being imposed on the subsequent purchaser.

www.triestepublishing.com

ALBERT MARTIN

**QUOMODO GRAECI AC
PECULIARITER ATHENIENSES
FOEDERA PUBLICA
JURE JURANDO
SANXERINT; THESIM**

2031
June 6

m. s.
41

x QUOMODO GRAECI

c^o

AC PECULIARITER ATHENIENSES

FOEDERA PUBLICA

IUREIURANDO SANXERINT

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARIENSI

ALBERT MARTIN,

SCHOLAE QUAE EST IN URBE OLIM SOCUS,

IN FACULTATE LITTERARUM NAUCRIANA COLLOQUIORUM MAGISTER.



PARIS

ERNEST THORIN, ÉDITEUR

LIBRAIRE DES ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROUE
DU COLLÈGE DE FRANCE ET DE L'ÉCOLE NORMALE SUPÉRIEURE

7, RUE DE MÉDICIS, 7

MDCCCLXXXVI



DOCTISSIMO VIRO

AUGUSTO GEFROY

STUDIORUM MEORUM FACTORI

QUOMODO GRAECI

AC PECULIARITER ATHENIENSES

FOEDERA PUBLICA IUREIURANDO SANXERINT

Τὸ συνέχον τῆν δημοκρατίαν ὄρατος ἐστίν.
LYC., *Adv. Leocr.*, 79.

CAPUT I.

**De variis pactionibus quae ad pacem Nicianam
dictam pertinent.**

Non est nobis in animo rem totam quae ad legationes Atticas pertinet tractare; hoc opus his proximis annis iam tentatum a duobus viris doctis Max. Heyse et Francisco Poland reperimus; hic *De legationibus Atticis* (¹), ille *De legationibus Graecorum publicis* (²) libellum scripsit; quorum operum utrumque non plane quidem absolutum, immo vero paulum confuse et incondite compositum, sed multa cura exaratum est; eminet quidem quem Franciscus Poland libellum cum impigerrima scientia tum acuta diligentia scripsit. De diversis illius rei partibus, de causis legationum, de nomine, de creatione, de recognitione et probatione, de

1. Gottingae, 1882; dissertatio inauguralis, p. 72; in-8°.

2. Lipsiae, 1885; dissert. inaug., p. 120; in-8°.

numero legatorum, de temperatione legationum, de officiis, mandatis, potestate legatorum, de renuntiatione ad senatum et ad populum, de honoribus, de viatico, de ratione reddenda, auctor uterque erudite disputavit. Nonnulla tamen omitti dolemus; inter quae nunc recentiorum opera sat erit notare; et clarissimi viri E. Egger liber de legationibus apud Graecos et Romanos ⁽¹⁾ Maximilianum Heyse, et recentissima docti viri V. Heydemann de senatu Atheniensium ⁽²⁾ dissertatio Franciscum Poland effugit.

Unam illius rei partem hodie tractare velim. Mos erat apud Graecos et foedera a civitatibus iuncta et omnes cuiuslibet modi seu publice seu privatim confectas pactiones iureiurando sancire; hae tum demum iureiurando ab utraque parte dato acceptoque valebant. Non parvi igitur erat momenti statuere et qui ex utraque parte darent, et qui acciperent iusiurandum, et per quos deos iuraretur; saepe etiam cautum erat ut legationes seu quarto quoque anno, seu quidem singulis annis in utramque civitatem iurandi renovandi causa proficiscerentur. Quanti huius aetatis viri hanc foederum religionem, hanc fidem per deos sanctissimos iuratam facerent, foedera quae feruntur, seu lapidibus incisa, seu apud auctores relata, luculente demonstrant.

Viri docti, qui de legationibus apud Graecos disseruerunt, hanc de iureiurando quaestionem attigerunt quidem,

1. *Études historiques sur les traités publics chez les Grecs et chez les Romains, depuis les temps les plus anciens jusqu'aux premiers siècles de l'ère chrétienne.* Nouvelle édition. Paris, 1866, p. 320; in-8°.

2. *De senatu Atheniensium quaestiones epigraphicae selectae, dissertatio inauguralis.* Argentorati, 1880, p. 55; in-8°. De legationibus et foederibus in hoc libro, p. 36-51, tractatur.

sed non ita ut eam ad exitum duxisse videantur, quippe qui de pactione politica magis quam de huius pactionis religione curaverint (*). Instaurare rem igitur licebit et quaerere quo pacto ad confirmanda foedera tantam religionem iusiurandum possideret et imprimis quibus modis hanc religionem sanctissimam efficere conarentur.

Amplissimam materiem ad hanc rem cognoscendam Thucydides in quinto de bello Peloponnesiaco libro praebet, cum de pace, Niciana dicta, memorat. Cum enim decimum iam annum varia fortuna pugnaretur, occisis, in eodem proelio, Brasida et Cleone qui in utraque civitate factionis bellum concitantis principatum tenebant, moderatorum sapientiumque civium auctoritas et oratio tantum valuit ut, positis denique armis, pacis foedera primum fecerint, σπονδὰς ἐποίησαντο (*), mox etiam societatem confirmaverint, ξυμμαχίαν ἐποιούντο. Quas geminas pactiones ut iam duobus ante annis annuae indutiae, ἐκεχειρία, paraverant, sic consecuta est altera societas quam Athenienses cum Argivis et Mantineensibus et Eleis, Spartanorum hostibus, iunxerunt, ut cernere possis quantam fidem haberet haec concordia quam Athenienses et Spartani iureiurando sanctissimo confirmaverant. Non abs re est omnes has pactiones recognoscere, quippe quae inter se cohacreat et iugentur et quasi totum reddant; quas omnes Thucydides in opus

1. Vir doctus, C. F. W. Müller hanc quaestionem attigisse solus mihi videtur in libello *De ritibus et caerimoniis, quibus Graeci commercia publica, foedera belli pacisque saepebant, deque vocabulis iuris fœdalis propriis, quoad ex Herodoti et Thucydides et Xenophontis libris cognosci possunt.* Regimontii, 1854.

2. Thuc., V, 18, 1: Σπονδὰς ἐποίησαντο Ἄθηναῖοι καὶ Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ Ἐργυραῖοι κατὰ τὰς. *Ibid.*, 23, 1.

suum ad verbum rettulit, et, his proximis annis, quoddam tabulae fragmentum, quae ab Atheniensibus cum Argivis et Mantineensibus et Eleis, ietum foedus incisum habebat, in lucem venit (¹), ut nulla suspicione auctoris diligentissimi fides violari possit.

Annus indutias ineunte vere (Ol. 89, 1, Martio mense, anni 423 ante Christum natum) Lacedaemonii et Athenienses fecerunt (²), eo consilio ut pacem vel diuturniorem iungere possint (³); quae res jam his verbis providetur: Κήρυκι δὲ καὶ πρεσβείᾳ καὶ ἀκολούθοις, ὁπόσοις ἂν δοκῆ, περὶ καταλύσεως τοῦ πολέμου καὶ δικῶν ἐς Πελοπόννησον καὶ Ἀθήνας σπονδὰς εἶναι ἰῶσι καὶ ἀπιῶσι καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλασσαν (⁴).

Formulae foederis ab Lacedaemoniis conscriptae subiungitur populi Atheniensis decretum, quo statuitur indutias fieri prout Lacedaemonii eorumque socii consentiunt (⁵). In ultima tabula nomina subscribantur virorum qui foedus composuerunt et qui sacra fecerunt (⁶): ξυνετίθεντο δὲ καὶ ἀσπένδοντο Λακεδαιμονίων μὲν οἷδε Ταῦρος Ἐχετιμίδα, Ἀθηναίως Περικλείδα, Φιλοχαρίδας Ἐρυξιδαιίδα, Κορινθίων δὲ Αἰνέας Ὠκύτου, Εὐφραμίδας Ἀριστωνόμου, Σικωνίων δὲ Δαμότιμος Ναυκράτους, Ὀνάσιμος Μεγακλέους, Μεγαρέων δὲ Νόσιος Κικάλου, Μανεράτης Ἀμφιδώρου, Ἐπιδαυρίων δὲ

1. C I A IV, 46 ὅ, p. 14.

2. Thuc., IV, 117, 1 : Λακεδαιμόνιοι δὲ καὶ Ἀθηναῖοι ἅμα ἤρι τοῦ ἐπιγραφισμένου θέρου εὐθὺς ἐκχωρίαν ἐποίησαντο ἐνιασίαν.

3. Thuc., IV, 117, 2 : σπονδὰς ποιήσασθαι καὶ ἐς τὸν πλείω χρόνον. Cf. IV, 118, 5 et seq., ubi agitur de legationibus περὶ καταλύσεως τοῦ πολέμου.

4. Thuc., IV, 118, 5.

5. Thuc., IV, 118, 8, seq.

6. Thuc., IV, 119, 1.

Ἄμφιας Ἐδοπαῖδα, Ἀθηναίων δὲ οἱ στρατηγοὶ Νικόστρατος
Διατρέφους, Νικήας Νικηράτου, Αὐτοκλήης Τολμαίου.

Illorum virorum, quibus quisque populus vicem suam demandaverat, nomina cognita habere valde ad rem nostram pertinet. Legatis Spartanorum adiunctos videmus legatos civitatum quae in Spartanorum fide versabantur; Athenienses contra illis populis, quos socios habebant, non copiam faciebant ut in colloquium venirent et sacrorum participes fierent (1). Ex Lacedaemoniorum sociorumque legatis tres solummodo nobis non ignorantur et ex illis tribus unus Corinthius Ephamidas militarem magistratum gessisse fertur (2); illum sui cives virum postea Mantineam legatum miserunt et ibi de pace inter Argivos et Epidaurios aliasque civitates componenda verba fecit (3). Ex legatis Spartanorum, Athenaeus, Periclidæ filius, in Thraciam, cum Aristonymo Atheniensi, missus est qui indutias exercitiis renuntiaret (4); Philocharidas, Eryxidnidae filius, inter legatos fuit qui pacem et paulo post societatem cum Atheniensibus composuerunt (5); idem vir inter legatos fuit in Thraciam missos qui Clearidam Spartanorum ducem iuberent Amphipolin Atheniensibus tradere et ceteros in foedera, ut quibusque ex convento praeceptum erat, admittere (6);

1. Quod fuit longe secus cum Athenienses, quarto saeculo ineunte, foedus maritimum renovaverunt: Spartani tunc suos socios a pactione componenda sanciendaque prohibent. Xen., *Hell.*, VI, 3, 10: ὄμωσαν Λακεδαιμόνιοι μὲν ὑπὲρ αὐτῶν καὶ τῶν συμμάχων. Ἀθηναῖοι δὲ καὶ οἱ σύμμαχοι κατὰ πόλεις ἕκαστος.

2. Thuc., II, 33, 2.

3. Thuc., V, 55, 1.

4. Thuc., IV, 122, 1.

5. Thuc., V, 19, 1; 24, 1.

6. Thuc., V, 21, 1.